



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Maurittii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe
Condita Ad Reductam**

Gudenus, Johann Moritz von

Erfurti, 1675

XXIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11903

centis, resectos Septemtrionis angulos
uberrimè compensant.

XXIII.

* MDXIX.
*Clerus Ma-
rianus Ru-
delstadium
redimere,
vult.*

*Senatus re-
vult.*

* MDXX.

Lutherus

XXIV.

*Erfordiam
transit.*

(a) Monumenta Archivi Mariani. Vide supra ad annum 1322. 1439
1452. & inf. lib. 4. n. 36.

* Ecclesia Mariana (a) † Rudelstadium
majus ex pactis ante sæculum initis se
redempturam Senatui indicit : ille mo-
ras nequit. Clerus missis quatuor Cano-
nicis, tabellario, & testibus pretium in
Curia offert. Senatus pro vili, quod de-
derat, pretio tantæ mercis fructus dimit-
tere nolens, variis exceptionibus negoti-
um protrahit : † dudum redimendi juri
præscriptum esse, prætereà in nuperis mo-
tibus plebem cum Senatu convenisse, ne
pagum ullum dimitteret. * Clerus pe-
cuniam penes Collegium S. Severi depo-
nit, ac cum parum opis Moguntia spe-
rare posset, Joannem Landgravium adit,
negatam à Senatu fidem defert, qui nil
aliud excipiat, quam cum plebe se legem
iniisse, ne legibus teneretur. Incolæ pa-
gi insolitis exactionibus ab Urbe pressi Do-
minos pristinos respexere ; mittit Sena-
tus, qui coërcerent, mulctati alii, alii
vincti, omnes territi sunt. Post Bienni-
um Landgravius auctoritatem interponit,
citatique partibus transactum est : reti-
neret Civitas pagum adhuc annis duode-
cim, postea redimendi Jus Mariano cœ-
tui integrum esset.

Lutherus Wittenbergam reversus tur-
bis & seditionibus classicum canit. † Ca-
rolus

rolus Cæsar (a) WORMATIAM ad dicendam causam vocat. * In itinere hanc * MDXXI. Urbem transit. (b) Dogmatibus suis jam infectam, utque popularem auram magis captaret, † concionem publicam in templo Augustinianorum indicit. Frequen- *Concionatur.* tissimus ibi confluxus, ut & interior ambitus † tanto oneri impar primo ruinæ *Ostentum:* sonitu casum minaretur. Ingens hinc strepitus fugientium, & totius Auditorii confusio. Præco Diaboli infestationibus imputavit ostentum, qui veritatis doctrinam impediret. Alii de sui profanatione mutam etiam ædem exclamare dicebant. Argumentum concionis à pacis denunciatione sumpserat: scilicet seditiones passim novum ipsius Evangelium movit, ut ergo sceleris famam declinaret, excitato jam populari tumultu de pace loquitur, sed nec id syncerè, passim in Clerum animis auditorum accensis. † His licentiæ *Plebs à Lutthero animata Clericos spoliat.* stimulis animata plebs (c) post aliquot menses in Ecclesiasticos insurgit, ædes Canonicorum effringit, percurrit, spoliat, nihil huic furori sanctum, omnia fracta, natabant in effuso vino dolia, multique Clerici verberibus excepti. Duravit hic furor in multam noctem: nunciat Clerus Senatui pericula, debitæque protectionis monet; ille primo surdis auribus excipit, at

(a) Scleidanus.

(b) Cochleus & MS. Chron. Erfurt.

(c) MS. Chron. Erfurt.

at postquam omnia per tumultum everfa
 jacerent, satellites mittit, qui spolianti-
 um turbas dispellerent. Sed tuti latere
 Clerici non poterant, nisi cum prius de-
 cem millia florenorum Senatui dedissent,
 insuper collectas, & onera civica subitu-
 ros se promitterent, idque instigante Se-
 natu his motibus actum est, ut Clerus ad
 tributa cogeretur.

XXV.

*Albertus in
 jus vocat
 Erfurtenses*

*Collegium
 Saxonicum
 fundatur.*

*Erfurtenses
 novum opus
 Electorinū
 riant.*

(a) Hæc & sequentia ex actis publicis in aperto sunt.

Albertus † Urbis seditionibus offen-
 ditur, frequentissimis citationibus in jus
 vocat, & Cæsarem ad coërcendos rebel-
 les adit. Hic aboleri vectigalia (a) citrà
 Domini consensum indicta mensuram vi-
 ni magnitudini pristina restitui, prote-
 ctionem Saxoniam abjurari, subjectio-
 nem jurejurando promitti sine clausula
 mandat. Spoliati vero Clerici, quere-
 lam in Imperiali judicio movent. Tile-
 mannus † Brandis Hildesius, Ecclesie S.
 Crucis in Urbe patriâ præpositus, Colle-
 gio literario, quod Saxonicum dicitur,
 hujatē Academiam auxit: Decanus, sti-
 pendiari variis legibus studiis addicti,
 commendata morum probitas, atque
 id in familiæ & patriæ favorem disposuit
 fundator, ut jus patronatus penes senio-
 rem Brandisium, præsentandus ex ea-
 dem cognatione, aut saltem Hildesius
 esset. Secuta nova contentio: Curiam
 suam Elector lapideâ mole magnificentius
 eri-